

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project  
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/CMN/index.html>)

*Compendium moralium notabilium* (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 3, Liber 4: De prudentia operandi: et his que pertinent ad eam

De vtilitate seu proficuo: Rubrica prima

Isaias propheta capitulo 1. Omnes appetunt munera: sequuntur retributiones.

Aristoteles ethicorum libro 8. capitulo 1. Diuitie sunt vtilium. Libro 4. capitulo 2. Uidebitur vtile esse per quod fit bonum aliquod: vel delectatio. Quare amabilia erunt et bonum et delectatio. Idem **rethoricorum** libro 2. capitulo 16. Iuuenes eligunt agere honesta quam conferentia. Quod conferens est ipsi bonum est: honestum autem simpliciter bonum est. Libro 3. et finali capitulo 18. Prudentis in eo quod est proficuum prosequi. Boni autem in eo quod est honestum.

Tullius de officiis libro i. capitulo 53. Omnis actio vacare debet temeritate et negligentia: nec vero agere aliquid cuius non possit causam probabilem reddere. Libro 2. capitulo 20. Omnes expetimus vtilitatem ad eamque rapimur: nec facere aliter villo modo possumus. Nam quis est qui vtilia fugiat: aut quis est qui non eam studiosissime prosequatur. Idem rethoricorum artis veteris libro 2. capitulo 11. Utilitatis due partes esse videntur: incolumitas: et potentia. Idem de oratore libro 2. Nemo presertim est in clara ciuitate quin putet expetendam maxime dignitatem: sed vincit vtilitas plerumque: cum subest ille timor: ea neglecta ne dignitatem quidem posse retineri.

Quintilianus declamationum 9. declamatione. Labori oportet incumbere vbi promittitur. Stulta cura est que spem non habet.

Seneca de beneficiis libro 7 et finali. Solet plus prodesse si pauca precepta sapientie teneas sed illa in promptu et in vsu sint: quam si multa quidem didiceris: sed illa non habeas ad manum. Idem de ira libro 3. Non expedit omnia videre omnia audire.

Lucanus libro 8. Dat penas laudata fides cum sustinet inquit: Quos fortuna premit. Cole felices: miseros fuge. Aduersis non deesse decet: sed leta secutos. Nulla fides vnquam miseros eligit amicos.

Lex digestorum titulo familie herciscum libro iii. Sepe solutio et executio precium non minima incommoda habet. Titulo de legatis l. si cui fundus. Sepe confines fundos: et supra estimationem iustam interest nostra acquirere.

Fulgentius nutlogiarum in prohemio. Ubi emolumentum deest negotii causa cessat inquiri.

Cato capitulo 2. Que nocitura tenes quamuis sint cara relinque. Utilitas opibus preponi tempore debet. Capitulo 5. et finali. Res age que prosunt rursus virare memento. In quibus error inest nec spes est certa laboris.

Uersificator fabularum esopi 28. fabula. Nullus amor durat nisi fructus seruet amorem. / Quilibet est tanti munera quanta facit.

Commented [CN1]: fol.71rb

Auctor libelli qui dicitur pamphylus capitulo 83. Quis non mentis inops sua semina mandat arene. / Cum mercede labor gratior esse solet.

Gaufridus poetria capitulo 80. Quis sanus ad vtile torpet.

#### De effectu verborum et operum: Rubrica 2

Aristoteles ethicorum libro 19. et finali capitulo 1. De his que in passionibus et actionibus sunt sermones minus sunt credibiles operibus. Sermones conuenientes exentes operibus creduntur propter quod prouocant intelligentes et viuere secundum ipsos.

Ouidius de fastis libro 6. et finali. Exempla parantur: Cum vides alios quod monet ipse facit.

Augustinus in epigramatibus prosperi 6. capitulo. Bene loqui et male viuere nihil aliud est quam seipsum sua voce damnare.

#### De vanitate et frustratione humanorum actuum: Rubrica 3

Psalmista 29. psalmo. Beatus vir qui non respexit in vanitates et insanias falsas.

Jesus filius syrach in ecclesiastico capitulo 38. Somnia extollunt imprudentes. Diuinatio erroris et auguria mendacia et somnia maleficientium vanitas est. Multo serrare fecerunt somnia: et exciderunt sperantes in illis.

Phylo vel phylemon libro Sapientie capitulo 1. Non acquiratis perditionem operibus manuum vestrarum.

Salustius in iugurtino. Frustra niti: neque aliud se fatigando nisi odium querere extreme demencie est.

Ouidius epistolarum 5. capitulo. Quid facis o etione quid arene semina mandas. / Non profecturis littora bobus aras.

Iohannes apostolus et euangelista in epistola vnica capitulo 2. Uidete vosmetipsos ne perdatis que operati estis: sed mercedem plenam accipiatis.

Paulus apostolus epistola 1. ad timotheum capitulo 4. Ineptas atque inanes fabulas deuota. Idem epistola 2. ad timotheum capitulo 2. Prophana et inaniloquia deuota. Iuuenalia desideria fuge. Ineptas questiones deuota.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 6. capitulo 6. Que demencia est superuacua discere in tanta temporis egestate. Libro 31. capitulo 1. Superuacua ex animo tollenda sunt. Libro 19. capitulo 11. et finali. Non tam benignum ac liberale tempus natura nobis dedit: vt aliquid ex illo vacet perdere. Idem de beata vita. Non nitetur sapiens in superuacuum: nec se nil profecturis impendet. Idem de septem liberalibus artibus. Quid refert prouidere quod effugere non possis. Plus scire velle quam sit: satis intemperantie genus est. Audi quantum mali faciat nimia subtilitas: et quam

Commented [CN2]: fol.71vb

infesta virtuti sit: pythagoras ait: de omni re in vtramque partem disputari posse ex equo et de hac ipsa ante omnes res in vtramque partem disputabilis sit. Nausiphanes ait: ex his que videntur esse nihil magis esse quam non esse. Parmenides ait: ex his que videntur nihil esse in vniuerso tota rerum natura vmbrosa est: aut inanis: aut fallax.

Iuuenalis libro 3. satyra i. Penituit multos vane sterilisque cathedre.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 5. Frustra autem niti lites odiumque subire. / Extremus furor est summaque stultitia.

Augustinus in epigramatibus prosperi emp. 73. Uana querenti nihil sufficit.

Prosper sub 77. emp. Non placeat vanis animum summittere rebus.

Fulgentius mitologiaram in prohemio. Inefficax petunt studium resque carent effectu.

Uersificator fabularum esopi 5. fabula. Non igitur debent pro vanis certa relinqui.

Prouerbia vulgaria. Gloria vana se florisseno grana. El e meio endarno stare che endarno lauorare.

#### De promotione ingeniositatis et artificiositatis: Rubrica 4

Commented [CN3]: fol.72ra

Salustius in catilinario. Ubi intenderis ingenium valet.

Ouidius de arte amandi libro 2. Ingenium mala sepe mouent. Idem methamorphosis libro 6. Grande doloris / Ingenium est miserisque venit solertia rebus.

Auctor libelli qui dicitur pampylus capitulo 30. Concipit ingentes animos inanis egestas. Et facit hoc hominem sepius artificem.

#### De artibus et artificiis: Rubrica 5

Aristoteles ethicorum libro 6. capitulo 2. Ars est habitus quidam cum ratione vera facturus circa contingentes aliter se habere contingens. Idem magnorum moralium libro i. capitulo 17. Circa factionem et factibilia est ars.

Tullius rethoricorum artis veteris libro 3. capitulo 9. Ars porro nature commoda confirmat et auget.

Ouidius de arte amandi libro i. Arte cite veloque rates remoque reguntur. Arte leues currus: arte regendus amor. Libro 2. et finali. Scilicet ingenium placida mollitur ab arte / Et studio mores conuenienter eunt. Idem de ponto libro i. Artibus ingenuis quarum tibi maxima cura est. Pectora molescunt: asperitasque fugit.

Seneca de septem liberalibus artibus. Meritoria artificia sunt.

Lex digestorum titulo de legatis iii. l. legatis §. ornatricibus. Omne artificium recipit incrementum.

Uegetius de re militari libro 2. titulo 23. et penultimo. Antiqua est prudensque sententia omnes artes in meditatione consistere.

Cato capitulo 5. et finali. Disce aliquid: nam cum subito fortuna recedit. Ars remanet vitamque hominis non deserit vnquam.

Boetius in aritmetica libro i. capitulo finali. Omnis ars omnisque etiam disciplina honorabiliorem naturaliter habet rationem quam artificium quod manu atque opere artificis exercetur. **Multo** maius est atque auctius scire quod quisque faciat quam ipsum illud efficere quod sciat. Artificium corporale quasi seruiens famulatur. Ratio vero quasi domina imperat.

Commented [CN4]: fol.72rb

Isydorus in synonyma soliloquiorum libro 2. capitulo 41. Uicia cito captant inertes.

Auctor libelli qui dicitur pamphylus capitulo i. Nam solet ars dominum sepe iuuare suum. Capitulo 3. Ars animos frangit: et firmas diruit vrbes / Arte cadunt tures arte leuatur onus. / Et piscis liquidis deprehenditur arte sub vndis. / Et pedibus siccis per mare currit homo. / Rebus et in multis ars adiuuat officium. / Pauper sepe suo pascitur officio. / Quod donare sibi minime potuere parentes / Hoc exercenti dabit officium. / Exiguo pulchram: ducit solertia vitam. Capitulo 30. Ars hominis magnum superat studiosa periculum. Capitulo 36. Arsque vigil magnas sepe ministrat opes.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 3. Est pecus vt brutum penitus quisquis caret arte. / Ars hominem format nec sinit esse malum.

Mattheus vindocinensis in poetria particula 2. capitulo 4. Ars est scientia docendi infinita finite / Auxiliare sibi doctus amicat opus. Capitulo 13. Ars puerum flectit: flectitur arte puer.

Iacobus beneuentanus capitulo 49. Ars bona prebet opes.

Prouerbia vulgaria. Elemeio mestiero cha spariuero. Chi non sa scortecare guasta la pelle.

#### De exercitio et vsu exercitii: Rubrica 6

Aristoteles ethicorum libro 2. capitulo 1. Que oportet discentes facere hoc facientes discimus. Ex similibus operationibus habitus fiunt. Libro 3. capitulo 6. Ex operari circa singula habitus fiunt pene insensibiles. Idem topicorum libro 5. Omne obscurum est. quod insuetum est.

Tullius rethoricorum artis noue libro 3. capitulo 12. Principia ab ingenio profecta sunt: et exercitii disciplina comparatur. 13. capitulo et finali. In omni **disciplina** infirma est artis perceptio sine assiduitate exercitationis.

Commented [CN5]: fol.72va

Ouidius sine titulo seu amorum libro i. capitulo 8. Era nitent vsu: vestis bona querit haberi. / Canescunt turpi tecta relicta situ. Idem de arte amandi libro 2. Solus et artifices qui facit vsus adest. Idem metamorphosis libro 6. Series venit vsus ab annis. Idem de fastis libro 4. Et non

sentitur sedulitate dolor. Idem de ponto libro i. Si licet cupidus studiorum quisque suorum:  
Tempus et assueta ponere in arte iuuat.

Uegetius de re militari libro i. titulo 20. Quotidianus vsus non laborat et si onerosa gestauerit.  
Libro 2. titulo 23. Sciendum est in pugna vsum amplius valere quam vires. Libro 3. titulo 10.  
Omnes artes omniaque quotidiano vsu: et iugi exercitatione proficiunt.

Cecilius firmianus de beata vita libro 3. Sapientia nisi in aliquo actu fuerit: quo vim suam  
exerceat inanis et falsa est.

Cato capitulo 5. et finali. Exercere studium quamuis perceperis artem: / Ut cura ingenium sic  
manus adiuuat vsum.

Boetius de disciplina scholarium libro i. Usus magistrum parere festinat. Sine vsu scientia parum  
poterit: vsus autem sine scientia multum.

Cassiodorus epistolarum libro i. capitulo 40. Ars bellandi si non preluditur: cum fuerit necessaria  
non habetur. Libro 3. capitulo 1. Nisi vsu presumatur: concertandi subito fiducia non habetur.  
Libro 6. capitulo 10. Habent exercitia premia sua. Libro 11. et penultimo capitulo 38. Labores  
reddunt homines semper instructos. Ille instructor redditur qui actu continue deuotionis eruditur.

Isidorus soliloquiorum in synonymis libro 2. capitulo 41. Exercitatione porficit sensus.

Auctor libelli qui dicitur pamphylus capitulo 9. Cunctarum rerum prudentia discitur vsu. Usus et  
ars docuit que sapit omnis homo. Capitulo 13. Usu crescit amor omnis: decrescit et vsu.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 10. et finali. Nil valet ingenium nisi cum coniungitur  
vsus.

Matheus vindocinensis in poetria particula 2. et finali capitulo 13. et penultimo. Est vsus  
doctrine comes. doctrina scholaris. Intercisa perit. continuata viget. Usus facit magistrum. Natura  
fundat ingenium prouehit vsus. Idem de hystoria tobie capitulo 36. Doctrine pater est vsus.  
doctrina scholaris. Intercisa perit continuata viget. Usus facit magistrum.

Commented [CN6]: fol.72vb

Bertrandus hyconomica capitulo 21. Fuge medicum scientia plenum exercitio non probatum.

Prouerbia metrica extraordinem librorum vagantia. Sunt duo que nullus confert nisi conferat vsus  
/ Scribere perfecte: versus componere recte.

Prouerbia vulgaria. Mal torce el fuso chi non ge vso.

#### De cura et intentione animi et negligentia: Rubrica 7

Salomon in ecclesiastico capitulo. Qui addit scientiam addit laborem. Capitulo 5. Multas curas  
sequuntur somnia.

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. ad finem. Omnem curam geras que circa vitam sunt.

Salustius in catilinario. Ubi intenderis ingenium valet.

Uirgilius in georgicis. Labor omnia vincit. / Improbis et duris vrgens in rebus egestas.

Tullius de officiis libro i. capitulo 13. Difficilis est cura rerum alienarum. Idem tusculanarum questionum libro 2. Animus intentione depellit presumptione ponderum. remissione autem sic vrgetur: vt se nequeat extollere.

Ouidius sine titulo seu amorum libro i. capitulo i. Uidi ego iactatas motu recalescere flammis / Et vidi nullo concutiente mori. Idem de arte amandi libro 3. et finali. Casus vbique valet: tibi semper pendeat hamus. Quo minime credis gurgite piscis erit.

Quintilianus declamationum 5. declamatione. Stulta cura est que spem non habet.

Seneca epistolarum ad lucillum libro i. capitulo 1. Turpissima est iactura que per negligentiam fit. Libro 7. capitulo i. Nihil est quod non expugnet pertinax opera et intenta ac diligens cura.

Lex digestorum titulo ex quibus causis maiores l. non enim. Negligentibus non subuenitur.

Uegetius de re militari libro 5. et finali titulo 8. Sicut prouidos cautela tutatur: ita negligentes **extinguit** in curia.

Commented [CN7]: fol.73ra

Cato capitulo 5. et finali. Quod tibi suspectum est confestim discute quid sit. Namque solent primoque sunt neglecta nocere.

Boetius de disciplina scholarium libro i. Diligentia operis cuiuslibet obtusitas permolitur.

Cassiodorus epistolarum libro i. capitulo 24. Illa sunt robusta illa diuturna qua prudentia incipit et cura custodit. Maior in conseruandis rebus quam in inueniendis adhibenda cautela est: quia de initiis predicatio debetur inuento: de custoditis acquiritur laudata perfectio. 43. capitulo. Que studiosius diligimus maiori gratia custodiuntur. Libro 4. capitulo 30. Facilis est edificiorum ruina incolarum subtracta custodia: et cito vetustatis decoctione resoluitur quod hominum presentia non tuetur. 31. capitulo. Uituperationem generant que in mediis conatibus egra deseruntur. Libro 11. et penultimo capitulo 31. et finali. Omnia que possunt habere contraria facilis casus assumerent si curam salutis proprie non haberent. Patitur omnis periculosos nexus: quos sustinet euadere.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 41. Hebetudo scientie lumen extinguit. Solertia autem meliorem reddit.

Auctor libelli qui dicitur pamphylus capitulo 3. Labor improbus omnia vincit. Capitulo 36. Uotum labor improbus implet. Capitulo 30. Improbis interdum dubios labor expedit actus / Magnaque tollit iners commoda segnitias.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 5. Improbis vincit. Ferrea congeries dirumpitur improbitate. Ferreus assiduo consumitur anulus vsu. Et durum lapidem gutta cadendo cauat.

Bertrandus hyconomica capitulo 3. Status hominis negligentis domus est ruinosa. Quid est negligentia gubernantis domum: ignis validus in domo accensus. Discute diligenter eorum diligentiam et propositum qui tua administrant. Sepius reuidere que tua sunt: quomodo sint:

magna prudentia est. Cogita de cibo et potu animalium tuorum: nam esuriunt et non petunt. 24. capitulo. Raro diligentiam **cum** infortunio sociabis: sed rarius a pigritia infortunium separabis.

Commented [CN8]: fol.73rb

#### De labore oportuno et torpore seu mollitie: Rubrica 8

Salomon in prouerbiis capitulo 6. Uade ad formicam o piger et considera vias eius: et discite sapientiam: que cum non habeat ducem: nec preceptorem nec principem parat estate cibum sibi et congregat in messe quod comedat. Si impiger fueris veniet vt fons messis tua: et egestas longe fugiet a te. Capitulo 10. Egestatem operata est tibi manus remissa. Manus autem fortium diuitias parat. Qui congregat in messe: filius est sapientie. Qui autem stertit estate: filius confusionis. 12. capitulo. Qui operatur terram suam saturabitur panibus. Qui autem sectatur ocium stultissimus est. 13. capitulo. Uult et non uult piger: anima autem operantium impinguabitur. 19. capitulo. Pigredo immittit soporem: et anima dissoluta esuriet. 20. capitulo. Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo estate et non dabitur ei. Noli diligere somnum ne te egestas opprimat: aperi oculos tuos et saturare panibus. 21. capitulo. Cogitationes robusti semper inabundantia. Omnis aut piger semper in egestate est. 22. capitulo. Uidisti virum velocem in opere suo: coram regibus stabit: nec erit ante ignobiles. 24. capitulo. Per agrum hominis pigri transiui et per vineam viri stulti: et ecce totum repleuerant vrtice: operuerant superficiem eius spine: et materia lapidum destructa erat: quod cum vidissem posui in corde meo: et exemplo didici disciplinam. 28. capitulo. Qui operatur terram suam saturabitur panibus. Qui sectatur ocium replebitur egestate. Idem in ecclesiastico capitulo 5. Dulcis somnus est operati: siue parum: siue multum comedat. Saturitas autem diuitis non sinit eum dormire. 11. capitulo. Qui obseruat ventum non seminat: et qui considerat nubes nunquam metet.

Aristoteles ethicorum libro 10. et finali capitulo 5. Uita operatio quedam est. Unusquisque circa hoc: et in his operatur que maxime diligit. **Sine** operatione non fit delectatio. Coauget operationem propria delectatio. Magis singula indicant et certius exquirunt cum delectatione operantes. Propria delectatio confirmat operationes: et diuturniores et meliores facit. Corruptunt operationes proprie tristitie. Idem magnorum moralium libro 2. capitulo 18. Mollis est qui non sustinet labores. Idem polliticorum libro 7. capitulo 11. Plurime ciuitatum bellantes quidem saluantur: postquam autem obtinuerunt principatum pereunt: rubiginem enim contrahunt sicut ferrum: pacem ducentes. Idem hyconomicorum liber. Surgere oportet prius dominos seruis: et dormire posterius. Oportet quecunque decet facere: neque nocte: neque die omittere.

Commented [CN9]: fol.73va

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 10. Melior est qui operatur et abundat in omnibus: quam qui gloriatur et eget panem. 22. capitulo. In lapideo luto lapidatus est piger: et omnes loquantur super aspersionem illius. 31. capitulo. In omnibus operibus tuis esto velox: et omnis infirmitas non occurret tibi. 33. capitulo. Multam malitiam docuit ociositas.

Phylon vel phylemon libro Sapientie capitulo 3. Bonorum laborum gloriosus est fructus.

Salustius in catilinario. Ubi labore ac iustitia res publica creuit reges magni bello domiti. nationes fere et ingentes populi subacti sunt. Charthago emula romani imperii a stirpe interiit: cuncta maria terreque patebant. Uigilando agendo bene consulendo prospera omnia cedunt. Ubi

socordie te atque ignauie dederis: nequaquam deos implores: irati infestique sunt. Idem in iugurtino: Populus et senatus romanus ante charthaginem deletam placide modesteque inter se rem publicam tractabat: neque glorie neque dominationis certamen inter ciues erat. Metus hostilis in bonis artibus ciuitatem retinebat. Sed vbi illa formido mentibus discessit: scilicet ea que secundas res amant lasciua atque superbia incessere: ita quod in rebus aduersis optauerunt ocium. Postquam adepti sunt asperius acerbiusque sit: namque cepere nobilitas dignitatem populus libertatem in libidinem vertere: sibi quisque ducere rapere trahere.

Commented [CN10]: fol.73vb

Catullus capitulo 5. Ocium et reges prius et beata / Per odit vrbes.

Virgilius in georgicis. Labor omnia vincit / Improbis: et duris vrgens in rebus egestas.

Oratius in sermonibus libro i. sermone 3. Neglectis vrenda filix innascitur agris.

Ouidius sine titulo seu amorum libro 2. capitulo 8. Stulte quid est somnus gelide nisi mortis imago. / Longa quiescendi tempora fata dabunt. Idem de ponto libro i. capitulo 5. Cernis et ignauum corrumpunt ocia corpus. / Ut capiunt vicium ni moueantur aque. / At puto fructus adest iustissima causa laborum. / Et fata cum multo fenore reddit ager. / Mors nobis tempus habetur in eis.

Quintilianus declamationum 2. declamatione. Uacat viciis nostris et ad omne votum fluente fortuna lasciuit ocium. 5. declamatione. Et labori oportet incumbere vbi effectus promittitur. Stulta cura est que spem non habet.

Paulus apostolus epistola 2. ad thessalonocenses capitulo 3. et finali. Si quis non vult operari nec manducet.

Seneca epistolarum ad lucillum libro i. capitulo 7. et finali. Durius tractandum est corpus ne animo male pareat. Libro 5. capitulo 2. Generosos animos labor nutrit. Libro 7. capitulo 3. Nullum laborem recusant manus que ad arma ab aratro transferuntur. Libro 16. capitulo 2. Piger sibi ipsi obstat. Idem declamationum seu ciuiliu causarum capitulo 2. Mollit vim ocium: ferrum situ rubiginem ducit. Idem de naturalibus questionibus libro 6. et finali. Tarde magna proueniunt vtique. si labor cessat.

Lucanus libro 4. Uariam semper dant ocia mentem.

Plinius de naturali hystoria in prohemio. Uita vigilia est.

Paladius de agricultura capitulo 6. Fecundior est culta exiguitas quam magnitudo neglecta.

Lex digestorum titulo pro socio l. societates §. i. Plerumque pauperioris opera supplet quantum ei per comparisonem patrimonii deest.

Commented [CN11]: fol.74ra

Uegetius de re militari libro 2. titulo 14. Quis credat militem bellicosum cuius dissimulatione situ ac rubigine arma fedantur.

Ualerius maximus libro 2. titulo de institutis antiquis. Marsilia ciuitas omnibus qui per aliquam religionis simulationem alimenta inertie querunt clausas portas habet: mendacem et fucosam superstitionem summouendam esse existimans. Libro 7. titulo sapienter dicta aut facta. Apus:

claudius crebro solitus erat dicere: negocium populo romano melius quam ocium committi. Non quod ignoraret quam iocundus tranquillitatis status esset: sed quod animaduerneret prepotentia imperia agitatione rerum ad virtutem capescendam excitari. nimia quiete in desidia dissolui.

Auctor libri de formula honeste vite capitulo 2. Prudens nunquam ocio marcet animum aliquando remissum habet: nunquam solutum.

Fulgentius nutlogiarum libro 3. fabula 2. Semper delicata consuetudo laborioso fert preiudicium operi.

Cato capitulo 2. Nam diuturna quies viciis alimenta ministrat. Capitulo 4. Segnitiam fugito que vite ignavia fertur. / Nam cum animus languet consumit inertia corpus.

Cassiodorus epistolarum libro primo capitulo 23. Laborem quippe non refugit qui virtutis gloriam concupiscit. 38. capitulo. Natura siquidem humana sicut duris laboribus instruitur: ita per ocia torpentia fatuatur. Libro 11. capitulo 32. Diutius labor sibi vendicat quod inexperta vix potest inuenire nobilitas. 35. capitulo. Labores reddunt homines semper instructos.

Gregorius in pastoralis capitulo 40. Plerumque piger dum necessaria agere negligit: quedam sibi difficilia opponit: quedam vero incaute formidat: et dum quasi inuenit quod vel iuste metuat ostendit quod in ocio quasi non iniuste torpescat.

Isydorus in synonymis soliloquiorum libro 2. capitulo 41. Per torporem vires et ingenium defluit.

Commented [CN12]: fol.74rb

Auctor libelli qui dicitur pamphylus capitulo tertio. Labor improbus omnia vincit. Capitulo 13. Prouidet et tribuit deus et labor omnia nobis. Proficit absque deo nullus in orbe labor. Capitulo 39. Improbus interdum dubios labor expedit actus. Magnaque tollit iners commoda segnitias.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 2. Ocia nullus amet: non sint coniuncta labori. Nam nimia requie mortificatur homo.

Auctor rudium doctrine libro primo. Absque labore graui vix munera magna dabuntur. / Gratus et est plenus vtilitate labor.

Gualterius de castellione libro 10. et finali. Uincit. Cuncta labor.

Mattheus vindocinensis de hystoria tobie capitulo 36. Ex requie surgit pestis seuissima luxus. / Armiger: et fame prodigus hostis amor / Labora. Languescit viciium: nil age morbus adest.

Henricus samariensis libri particula 2. Non sine sudore probitatis scanditur arbor.

Iacobus beneuentanus capitulo 16. Nam labor assiduus premia digna gerit. Capitulo 17. Fomentum viciis dat diuturna quies. Nunquam habens homo poterit sibi multa parare? Sollicitus vero multa parare solet. Tempore quoque miser desidiosus erit.

Belinus in speculo vite particula i. et 2. Qui fieri dominus vult primo seruiat: et qui vult requiem noscat quid petit ipse labor.

Prouerbia vulgaria. Chi se ahia dio lahia. / Deo da le noxe: mel no le rumpe. / Chi tropo mesura poco lauora. / Homo lento no troua tempo. / Mal lauora chi no regona.